Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

DYSENTERIA,

QUAM

DEO O. M. PRÆSIDE,

CONSENSU & AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ,

Pro

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

& PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS,

IN INCLYTA NORICORUM UNIVERSITATE

ALTDORFFINA

ritè & legitimè conſeqvendis,

publico Examini

Ad d. 28. Junii,

A. C.

M DC XC.

ſubjiciet

JOHANNES MARTINUS Arnold/

Hannoviâ-Wetteravus.

Literis HENRICI MEYERI, Vniv. Typographi.

PROOEMIUM.

QUemadmodum ſanguinem ſpirituum nos animantium ac vegetantium materiam ac domicilium in ſuis conceptaculis retineri noſtra magni intereſt, ſic eundem injuſſu naturæ ſtationem ſuam deſerere citra inſigne diſcrimen non poſſe,nemo,niſi planè in re Medica hoſpes,non concedet; Et quidem juſſu ac inſtinctu naturæ ceu ſanitatis noſtræ conſervandæ maximè providæ ac ſtudioſæ certis ſtatisq; periodis in utroq; ſexu cum præſentiſſimo levamine largiter profluit per nares & inteſtini recti vaſa hæmorrhoidalia tum interna tum externa, ac in ſexu ſequiori per uterinorum canaliculorum oſcula, quamvis nuperrimè etiam in Subjecto quodam Illuſtri unà cum hæmorrhoidum fluxu trimeſtri menſtrua ſanguinis evacuatio ſecundum inguinum ductum & lineam ſcroti, ſanguine primùm puro poſtea pure admixto ex glandulis erumpente, obſervata fuerit; quandoq; etiam in grumos concretus nigricans & ſplendens ex ventriculo & inteſtinis in maxima copia ἄνω καὶ κάτω cum ægrotantis εὐφορίᾳ eructatur, ut in Dyſenteria Melancholica Galeno, ſeu morbo nigro Fauſio ita dicto videre eſt: imò experientia conſtat quotidiana, equos Hungariæ generoſiores ex venis carotidibus ſponte apertis ſanguinem ſtillare jubasq; purpura ſua quaſi pictas tingere, naturâ proprio auſu & ductu beſtias menſium fluxu aliàs deſtitutas ſublevante ac venæſectionis vices ſupplente. Corporis humani deſtruentem ſanguinis evacuationem naturæ injuſſu factam ſuppeditat apertio vaſorum pulmonalium & aſperæ arteriæ in Hæmoptyſi; renalium in Febribus malignis ſanguine diatheſin inflammatoriam nacto nimis ebulliente, & affectibus renum propriis, meſaraicarum ut in Fluxu hepatico; cumprimis autem metum nobis incutit

Fluxus alvi Dyſentericus quotannis fermè longè latèq; ſtragem edens per urbes, pagos, maximè verò caſtra utpote alendæ huic lui contagioſæ aptiſſima, quod maximo ſuo damno hucusq; teſtata ſunt Germanorum contra Chriſtiani nominis hoſtem immaniſſimum Turcam in Pannonum Getarumq; oris pugnantium corpora, quorum plura morbis quam armis periiſſe certum eſt, & in poſterum ex morbis caſtrenſibus (in quibus Febres malignæ & Dyſenteriæ pari paſſu ambulare videntur) peritura credibile ſit; nec Rhenus cladis præterito anno ab hoc morbo acceptæ immemor, non ſolùm enim caſtra Teutonica Moguntiam & Bonnam expugnantia Dyſenteria paſſim invaſit & depopulata fuit, ſed & vicinos Rheni accolas per contagium in conſortium rapuit: quò ergò abdita truculenti hujus morbi penitius innoteſcant, eundem hâc vice tractare mecum conſtitui, & quidem ſtrictè ſumptum Fluxum Dyſentericum, omiſſis omnibus aliis ſanguinis ſecundum & præter naturam evacuationibus, etiam Dyſenteriâ illâ Hybernorum endemia penatibus cancellis relictâ, (quorum aliquot millia in Galliæ provinciam Britanniam minorem hoc rerum ſtatu illata etiam extra patrios limites cum hoc morbo tanquam hoſte acerrimo de vita conflictari jamdum coguntur) Dei Triunius auſpiciis fœtidum ac execrandum huncce affectum, quantum temporis nimis coarctati anguſtia & ingenii modiolus permittunt, aggrediar.

Th. I.

EST verò DYSENTERIA frequens alvi dejectio, mucoſa, cruenta, purulenta, ramentoſa, doloribus ac maximis torminibus ſtipata. Nunc cum, nunc ſine rigore horroreq; invadit, quos ſequitur totius corporis calor febrilis, hunc brevi poſt ventris tormina, iſta dejectiones: quamvis autem non ſemper febris præſenſio antecedat, agmen tamen ducunt tormina horas aliquot imò diem unum alterumve præcedentia, ſubſequuntur dejectiones

ctiones tot ſæpius, ut vix quies detur decumbenti. Dejectiones in principio morbi utplurimùm ſunt mucoſæ, quibus intertexuntur ſanguinis quædam lineamenta, quandoque tamen ne minimum quidem ſanguinis per omnem morbi decurſum iisdem admiſcetur colluvie mucoſâ cum maximis ventris doloribus frequenter excreta, procedente morbo ſanguis ſincerus ſero & muco aut etiam ne muco quidem intermixto largiori quantitate ſingulis vicibus cum magno conatu excernitur, quandoq; etiam primis diebus ſanguis copioſus ſero dilutus, dein nigricans in grumos cum viſcida inteſtinorum pituita ac glandulis abraſis concretus excernitur, tandem pauca materia ſpumoſa, purulenta, ſubflava cum filamentis carneis quinq;, ſex, ſeptem dierum aut tot etiam ſeptimanarum ſpatio hujus morbi decurſus peragitur, interdum diutius excurrit per ſemeſtre unum alterumve, inteſtinis ſeriatim deorſum verſus affectis; ultimoq; vaſis hæmorrhoidalibus internis ſeu ſuperioribus cum alvinis fæcibus cruoris purulenti quidpiam eliminantibus.

II.

PARS AFFECTA ſunt inteſtina, ſive tenuia ſive craſſa, ſive utraq; ſimul; illorum numerantur tria, Duodenum, Jejunum & Ileum; horum totidem, Cœcum videlicet, Colon & Rectum. Tunicis gaudent quatuor, quarum externa membranoſa eſt à peritonæo orta; ſecunda fibris carneis conſtat, cujus exteriores longæ, interiores rotundæ ſunt, ſibi invicem ad angulos rectos ſuperjacentes; tertia nervoſa eſt ac vaſorum tum lacteorum tum ſanguiferorum oſcula ſuſtinet, cui intus & quarta cruſtæ villoſæ nomine veniens adnaſcitur, quâ mediante chylus abſorbetur veniſque lacteis communicatur, dicitur aliàs velamentum bombycinum, quod oſcula lactea occultet & per quod chylus purior quaſi filtratus vaſa lactea intret; præterea in

Tenuibus plexus glandularum miliarium, in Craſſis verò glandulæ illis nonnihil grandiores reperiuntur ad lentis fermè magnitudinem & figuram accedentes, verùm non ut priores in agmina & plexus conglomerantur, ſed longius ab invicem diſtant, ac velut in ſtationes ſolitarias diſtinctæ apparent, haud ſecus ac ſi hinc inde per modo memorata inteſtina veluti per agrum diſperſæ forent, foraminulis inſtructæ ſunt excretoriis, per quæ mucus viſcidus inteſtinis defendendis deſtinatus effunditur, cujus ope contra fæcum aſperitatem ſylveſtriumq; ſalium impuriorum ſpicula muniuntur, ac ipſæmet fæcum particulæ hoc quaſi glutine coagmentatæ aptius agglomerentur; ſpiritûs animalis aliquid huic glutini immixtum eſt, ad liberandas ab excrementis nutritias alimentorum particulas, ſi quæ fortè quisquiliis immerſæ latent: Tenuium inteſtinorum glandulæ in plexus diſpoſitæ milii aut lithoſpermi ſemina magnitudine æquant, & quidem prima plexuum veſtigia partim apparent in Duodeno, glandulis quinis aut ſeptenis juxta ſe in racemum diſpoſitis; per Jejuni diſtrictum nullus plexus integer occurrit, ſed in ſpatioſo Ilei ſinu continentur plures, quòq; ad inteſtina craſſa propius accedit, eò plexus glanduloſos frequentiores & majores oſtendit, donec in poſtremo circo ex meris glandulis coagmentatum appareat: Continent dictæ glandulæ ſerum viſcidum ab arteriis communicatum & ſpiritum animalem nitro-aëreum à nervis depromptum rationeque duplicis materiæ geminus quoq; huic liquori aſſignandus uſus, chylo crudiori è ventriculo pulſo glandulæ hæ tunc plurimùm turgentes ſe protinus per papillas exonerant motu periſtaltico preſſæ, hinc ſpiritus aëreus è compedibus ſuis erumpens alimenti maſſam permeat, donec craſſæ in minimas particulas comminutæ chylum abſolutiſſimum conſtituant; viſcidum verò ſerum inteſtinis muniminis loco

ad-

adhæret, cavendo, ne particulæ cum ſpiritu nitro-aëreo colluctantes ſpiculis ſuis nerveam tunicam pungant, à ſagaci autem natura Ileum tam copioſis plexibus glanduloſis inſtructum cernitur, ut pancreatis & bilis ſucci hucusq; deficientes alium habeant in officio ſuccedaneum ipſorum vices, ſi ita fari conceditur, gerentem, ideò Jejunum & Duodenum inteſtina nil ferè niſi veſtigia harum glandularum fermentativum ſuccum exſudantium referunt; plexus hi tunicæ nerveæ ſunt affixi, utpote cum qua tolli & abradi poſſunt, non ſolùm autem in nervea tunica baſes iſtorum glandularum ſubſiſtunt, ſed quædam etiam altius radicatæ ipſi tunicæ fibroſæ infiguntur. Num autem tenuia vel craſſa afficiantur inteſtina, indicat dolor, qui acutiſſimus & vehementiſſimus nec non in tolerabilis eſt tenuibus laborantibus, propterq; conſenſum ſæpius ventriculus irritatur & ſtimulatur ad vomitum, quia tenuia magis membranoſa ſunt & ſenſu exquiſitiori prædita, ita ut irritata propter conſenſum ventriculum ſimili ſpaſmo afficiant: Dein poſt tormina alvus non ſtatim exoneratur ac deniq; ſanguis ſtercoribus omnibus permixtus eſt, cum enim via à ſuperioribus tenuioribus inteſtinis ad anum longior ſit, ſanguis qui tum magis nigreſcit & purulenta materia in itinere longiori intimius ſtercoribus permiſcentur, antequam per alvum excernantur: Si verò inteſtina craſſa afficiantur, dolor eſt obtuſior, minus vehemens & diuturnus, celeriterq; poſt tormina fit excretio, cruor præterea & purulenta materia alvi excrementis ſupernatant aut parum permiſta oculis ſeſe ſiſtunt.

III.

CAVSA Dyſenteriæ PROXIMA eſt materia acris corroſiva maligna Inteſtinorum, cruſtam villoſam, glandulas miliares & lenticulares, nec non tunicam nerveam fibroſamq; erodens & abradens. REMOTA quærenda eſt in

vitio

vitio aëris, ex aſſumptis fructibus immaturis ſive crudis autumnalibus facilè corruptibilibus intenſumq; ac fortem acorem contrahentibus, quales ſunt melones, cucumeres, pruna cerea, perſica &c. qui non ſolùm Dyſenteriæ cauſa fiunt, quia facilè corrumpuntur, ſed etiam quia, quod maximè conduceret, non ſtatim excernuntur, ſed adſtrictione ſua dictis partibus arctius adhærent ac ſubinde utriusq; generis fibras tum nerveas tum carneas dilaniant depaſcuntq́ue, valde etiam noxius eſt eſus uvarum nec non potus muſti recentis, item pyraceum pomaceumve, quod vocant *cidre & poire* in Normannia, potus certè ex pomis ſapore gratiſſimus, cujus quoq; in Helvetiæ regione Rhintali a ſalubrioris ſed magis cocti & depurati uſus invaluit; in Wetteravia quoq; ruſticis muſtum recens ex pyris vulgò Gräiling expreſſum in delitiis eſt, qui ſubſequentibus Diarrhoeis, Dyſenteriis, Dolori Colico, Febribus &c. noxiam qualitatem fermentativam adfert: Non ſolùm autem fructuum eſus corruptibilium, ſed & inſuetorum & minus commodorum uſus nocet, unde nulla ferè expeditio in Ungariam ſuſcepta eſt, in qua non ex in conſueta & incauta victus ratione plures fermè Dyſenteriâ quàm ferrô periere.: Pharmaca venenata ex arſenico, antimonio, colocynthide, euphorbio, propinata, ut & mercurii uſus intempeſtivus in curanda lue venerea facilè malum hoc acceſſunt; imò experientia conſtat, poſt mineralium aquarum fortè aliqualem arſenici naturam corroſivam induentium uſum aut etiam aquæ laudabilis intempeſtivè & inordinatè nullâ habitâ diætæ ratione hauſtæ Dyſenteriam ſubſequutam fuiſſe: poſt Dyſenteriam ortam, liquores pancreaticus & bilis vitioſam nacti diatheſin & juſto acriores facti anſam quoq; præbere poſſunt fluxui cruento. In maligna & epidemica hujus morbi conſtitutione aër inquinatur venenoſis acribus particulis, qui cùm continuò

cor-

corpus noſtrum ambiat, per poros & os inſpiratus, ſanguini permixtus, inquinamento impurô arſenici naturam præ ſe ferente, cum ipſo ad inteſtina appellente immaniter impingendo, mordicando & irritando, in glandulas & tunicas nerveas fibrasq; inteſtinorum ſævire incipit, quamobrem ſpiritibus animalibus & ſanguine eò allectis & inter ſe invicem vehementiſſimè excandeſcentibus, ignei planè torminum cruciatus dejectionibus crebris ſtipati oriuntur. In Dyſenteria per contagium ſuſcepta, acres, ſubtiles & planè volatiles inquinamenti venenati exhalationes, ſive ore hauſtæ ſive per anum exceptæ, ſe inteſtinorum qua tenuium qua craſſorum tunicis & glandulis immediatè objiciunt, ibiq; mox virulentiæ ſuæ telis in ſanguinem eò per arterias appellentem & fibras nervorum evibratis illum inſigniter corrumpendo hasq; potenter ſtimulando ſymptomata acerba varia pariunt; videndum apud Hildanum exemplum ſeminii Dyſenterici per contagium in omnes, qui circa ægrum erant ſparſi; præterito autumno quoq; paſſim milites juxta Rhenum in hyberna diſtributi hoſpitia inquinarunt tum hoc morbo, tum febribus malignis petechialibus; accidit etiam quandoq; Dyſenteria propter abſciſſum aliquod membrum, tibiam vel brachium, aut propter aſſuetarum exercitationum intermiſſionem, vel hæmorrhoidum, menſium, aut hæmorrhagiæ narium ſuppreſſionem, præſertim aëris conſtitutione aut contagio Dyſenterico concurrentibus.

IV.

Germanis dicitur CRVENTA die rothe Ruhr / in qua copioſus cruor aut ſanguis ſincerus excernitur, alia verò ALBA die weiſſe Ruhr / in qua mucus copioſus purus aut ſanguinis filamentis tinctus expellitur. Alia eſt benigna, alia maligna, benigna ut plurimum eſt ſine febre & contagio & tantùm ſporadicè in hoc vel iſto loco nullis horren-

dis ſymptomatibus ſtipata homines affligit, ortum ut plurimum habens à fructibus autumnalibus, vel ab humore aliquo vitioſo in internis viſceribus producto. Maligna utplurimum conjuncta eſt cum febri maligna haud rarò peſtilentiali ac epidemicè graſſatur ſæpeq; integras provincias devaſtat miaſmate venenato per aërem ſparſo ſanguinem & cum iſto inteſtinorum tunicas invadente.

V.

Differt autem Fluxus Dyſentericus à fluxu ſanguinis melancholico; in quo poſteriori ſanguinis multum ſimul, ſed rarò excernitur; apud Hildanum aurifabro inveterata hemicrania laboranti tantum ſanguinis profluvium ſupervenit, ut ultra decem libras ſanguinis in glomos coagulati atri melancholici diverſis temporibus abſq; dolore dejecerit; præterea à fluxu ut vocant hepatico, ſanguine ſero diluto loturæ carnis ſimili abſq; manifeſto dolore exeunte, qui fluxus interdum duorum aut trium dierum intervallo ſupprimitur, evacuatione poſtea denuo ingruente, eò quod in Dyſenteria propriè dicta cum dolore & vehementibus cruciatibus alvus ſæpius exoneretur, muco viſcido, ſanguine, pure, & tandem fibris nerveis & carneis exeuntibus, ita ut frequentior dejectio torminoſa, cruenta, veram à notha facillimè diſtinguat. Sæpius quoq; fluxus alvi ſanguinolentus in diſpoſitione ſcorbutica Dyſenteriam mentitur, in quo ſanguis craſſus & fæculentus copioſè per venarum extremitates in inteſtinorum tubulum effunditur, qui per alvum non cum excrementis ſed ſeparatim & ſine torminibus excernitur, hincq; talis fluxus ſcorbuticus à Dyſenterico vero haud difficulter diſcernitur. Teneſmus à Dyſenteria diſtinguitur, quod hic affectus ſedem ſuam habeat in inteſtini recti extremitate cum implacabili deſidendi cupiditate, pauca tamen mucoſa nonnihil cruenta excernens, & ſic ratione minoris quantitatis materiæ

teriæ profluentis à Dyſenteria differens, dein ſæpius & ſemper ferè Teneſmus pruritum excernendi cauſatur, in Dyſenteria verò majori interpoſita requię ſeceſſus fiunt in majori quantitate; quidquid ſit, certum tamen eſt Dyſenteriam Teneſmum ſæpiſſimè conjunctum habere, huncq; eandem cum ea depoſcere curam. Ab hæmorrhoidibus quod differat Dyſenteria, non opus eſt dictu.

VI.

DIGNOSCITVR Morbus hicce horrendus ex doloribus & torminibus inteſtina invadentibus cum excretione materiæ albicantis mucilaginoſæ, hinc ſanguis & pus ramentaq; tunicarum inteſtinalium excernuntur, obſervantur in multis præſertim teneræ ætatis dejectiones diverſimodè coloratæ. Mirari ſubit, unde tam copioſus mucus promatur, videtur eſſe gelatinam tunicarum nutritioni deſtinatam, à materia corroſiva acri inteſtina irritante humorumq; talium nutritionem cum ſanguine verſus illarum tunicas affluxum majorem efficiente, abraſam, quale quid cumprimis in Dyſenteria alba ſolet fieri, cruciatus verò æquè ac in cruenta intolerabiles eſſe nos docet ſimilis ratio, difficultas urinæ, in qua per metaſtâſin materiæ arthriticæ vel iſchiadicæ in veſicam translatæ primò copioſum excernitur ſedimentum tartareum & viſcidum cum cruciatibus & torminibus incredibilibus, tandem ſclarea pellucida ad inſtar gelatinæ concreta & ductilis copiosè prorumpit, cruſtâ villosâ ſimiliter ut in Dyſenteria abſcedente, & vaſorum oſcula hunc gelatinoſum humorem exſudantia denudante.

VII.

PERICVLOSIOR eſt Dyſenteria & CVRATV DIFFICILIOR, in qua inteſtina tenuia, quàm in qua craſſa, afficiuntur, pollent quippe ſenſu exquiſitiori, hinc tormina & dolores punctorii quaſi acubus illati, vigiliæ, febris, vi-

rium proſtratio, ventriculus etiam propter conſenſum ad vomitum incitatur &c. Præterea horum gracilium inteſtinorum ulcera difficilius curantur, præſertim jejuni, cujus vulnera Hippocrates lethalia pronunciat. Contra verò craſſorum inteſtinorum ulcera omninò non ſunt deplorata, ſed curabilia, quorum exempla apud Fabricium Hildanum legi poſſunt. Vigiliæ immodicæ, dejectiones ſinceræ, nigræ, fœtidæ, ſanguinis excretio copioſa, ſuperveniens lienteria, ſingultus, vomitus bilioſi, præcordiorum dolor, ſitis intenſior lethalem utplurimum Dyſenteriam pronunciant. Si Dyſenteria detento veluti carunculæ dejiciantur mortiferum ex Hippocrate. Singultus ſuperveniens plerumq; lethalis eſt, in principio tamen morbi minus periculoſus, quam ſi in morbi progreſſu accidat. Dyſenteria infantum quæ cum vomitu & vermibus eſt, plerumq; lethalis eſt, præcipuè ſi conjungatur febris acuta. Dyſenteriæ chronicæ ſuperveniens cœliacus fluxus cum virium imminutione in maraſmum lethalem terminatur. Convulſiones & rationis perturbatio Dyſenteriæ ſupervenientes mortem ſignificant. Ex maculis in facie provenientibus Riverius ſignum prognoſticum lethale ominatur. Anno præterito in Wetteravia Dyſenteriâ in ἀκμῇ exiſtente ii quibus maculæ petechiales aut etiam majores adinſtar ſcorbuticorum crucigeri magnitudine fuſcæ in collo, pectore, cum ſumma cordis anxietate fuere obortæ, una aut altera die poſt obiere. Superveniens extremorum frigiditas cum ſudore frigido ſignum mortis inſtantis. Dyſenteria gravidis ante partum obveniens, in iisdem utplurimùm poſt partum facilè ſolet curari, ſit autem benigna non maligna oportet, nec nimis gravis nec diu ante partum, aliàs periculoſa & lethalis exiſtit. Omnium periculoſiſſima eſt Dyſenteria epidemica, nam cum ſævitia & acumine in homines graſſari ſolet propter occultam quandam aëris qualita-

litatem, ſoletque cum febre plerumq; invadere, ſæpius quoq; eſt ſymptomatica utpote febrium malignarum peſtilentialium productum integras regiones devaſtans, inteſtinisq; gangrænæ notam lethalem imprimens. Dyſenteriæ Caſtrenſes confirmatæ curatu impoſſibiles, in his diſſectis inventa inteſtina paſſim pugnum excedentibus apoſtematibus & ulceribus ſerie ſcaturientibus exeſa.

VIII.

Ad Dyſenteriæ CVRATIONEM faciunt tres ita nominati fontes, Diæteticus, Pharmacevticus & Chirurgicus; ab ultimo ordiamur & quidem Venæſectione, quæ ſummi uſus & neceſſariò inſtituenda, ſi magna adſit ſanguinis copia aut vehemens ejus ad inteſtina ſit impetus, aut magna metuenda ſive jam præſens ſit inflammatio, aut Dyſenteria ex phlegmonode inteſtinorum diſpoſitione ortum habeat, dolorq; ſit vehemens, aut febris continua juncta ſimplex, vel anginoſa aut plevritica, aut conſueta aliqua evacuatio ſuppreſſa ſit, omninò veneſectione opus eſt, modo vires eam permittant, quid enim vetat ſanginem copioſum & furibundum præſertim in conſtitutione epidemica ab humoribus & particulis calidis & acribus exagitatum cum impetu in inteſtina ruentem venâ in cubito, aut etiam dummodo ſanguinis ſolita evacuatio per hæmorrhoides vel menſtrua cohibita & ſuppreſſa in cauſa ſit, in talo ſemel aut aliquoties ſecta eandem potenter revellere, quô factô inſuper reliqua maſſa contemperatur, & quies blanda optimum Dyſentericorum ſolatium conciliatur. Julius Cæſar Claudinus ſcribit, ſe juratò affirmare poſſe, quod in Dyſenteria ſui temporis epidemia complures hoc præſidiorum genere ſervaverit & citius ſanitati reſtituerit. Convenit inſuper venæ ſectio in prægnantibus ultimis ſeptimanis ante abortum in brachio adhibita in angina vel pleuritide aut alia ſanguinis inflammatoria conſtitutione

Dyſenteriæ fluxum excitante; Vena, habitâ horum morborum acutorum conſideratione, in alterutro brachiorum, ſub lingua &c. cum ſelectu aperienda: Iis in quibus venæ ſectio ſuſpecta cucurbitulæ cum ſcarificatione ſcapulis affigendæ. *Fons Pharmaceuticus* in vaſtiſſimum materiæ Medicæ campum nos deducit, & quidem primùm ab antiquiſſimis temporibus in uſum vocata purgatio locum habet, nunc lenior nunc fortior inſtituenda, hæc molienda, ſi humor vitioſus multus eſt in toto corpore & ad inteſtina turgens appulſus Dyſenteriam excitare incipit, tunc enim mox in principio unâ copioſiori evacuatione majorem humoris peccantis partem evacuare confert, operatione peractâ Anodynum exhibendum. Etenim quandoquidem ſatis eſt obvium medicamenta cathartica etiam leniſſima ventris tormina intendere, ſpirituum inſuper dejectionem, adventitio nempe illo tumultu ſanguinem & humores inter operandum commovente, inducere, eapropter paregoricum propinandum, modò catharticum ſuo defunctum munere videatur, ut à purgante excitatus motus ſufflaminetur, purgans & quidem lenius alternis ſeu ternis diebus aliquoties reiterandum, non omiſſo poſt ſingulas purgationes anodyno. Leniora & laxantia vitioſos humores eluentia ſimili modo ſtatis temporibus & diebus delicatioribus debilioribusque indulgenda. Si magis arridet, haud incongruè recentiorum quorundam ingenioſa ſedulitate catharticum narcotico maritatum per vices exhiberi poteſt, uſu ſiquidem compertum eſt, poſt mitem ſomnum à Narcotico inductum, collectis per id tempus viribus humorum excluſionem vi carthartici narcotico combinati ſubſequi feliciſſimam, pharmacum eſto tale:

℞. *Fol. Senæ orient. mundator.* ℥iij.
Rhabarb. Chinenſ. ℥iß.

Myro-

Myrobal. Chebul. ℈ij. *inf. per noct. in aq. Scord.*
Colat. ℥iiß. *add.*
Syr. Roſar. ſolut.
Papaver. albi ãã. ʒvj.
Mſ. f. potiuncula una vice ſumenda.

Inter electivè purgantia principem locum tenet meretur; Rhabarbarum ex China ad nos apportatum, benignè ſiquidem corpus evacuat evacuatumq; roborat & adſtringit, vis hæc purgans Rhabarbari conſiſtit in ſpirituoſis & volatilibus portiunculis, particulas heterogeneas in maſſa ſanguinea & primis viis præcipitando evacuantibus, & terreſtribus fixis adſtringentibus, ita ut una fidelia duos hâc medicinâ de albare poſſimus parietes, ſi rectè memini à Foreſto valdè efficax expertum in diſſolvendo coagulo ſanguinis & partium debilitatarum tono reſtaurando prædicatur, hinc non ſolum quatenus purgat recommendandum Rhabarbarum, ſed etiam quatenus noxios & corroſivam naturam induentes in inteſtinis ſeſe coagulantes liquores corrigit, attenuat, diſſolvit ac evacuationi aptos reddit, unà quoq; glandularum ac tunicarum inteſtinalium villos roborat, poteſt dari optimè in ſubſtantia v. g. ℞. Rhab. Chin. ſelecti per Alexandriam allati ℈ij. ʒj. ad ℈iv. cum gr. viij. aut ℈ß. NMoſchat. Mechoacanna alba propter convenientiam quam habet cum Rhabarbaro etiam dicitur Rhabarbarum album, blandè evacuat è corpore quæcunq; heterogenea cumprimis ſeroſa pituitoſa, in ſubſtantia datur à ʒß. ad ℈ij & ʒj. Senna etiam tanquam univerſale & benignum purgans optimè convenit. Myrobalanorum omnes ſpecies maximè Chebulorum in Diarrhœis ac Dyſenteriis uſitatæ in pulpa conditam habent partem ſubtiliorem purgantem, in cortice verò partes terreſtres adſtringentes. Tamarindi in præ-

ſentia

ſentia febrium dantur in infuſo ſeu ejus pulpa extracta cum Rhabarbaro acuata, v. g. Pulp. Tamarind. ℥ß. ſeu ʒvj. Rhab. ℈j. ſeu ʒß. effervescentias febriles emendant & ſenſim ac blandè evacuant; hæc de purgantibus dicta ſufficiant, ſi prius eorum, quæ neglectionem indicatam & tamen omiſſam inſecuta fuere, paucis adhuc mentionem fecerimus. Narrat Horſtius, Comitem quendam Solmenſem materiâ peccante non decenter evacuatâ reconvaleſcentem, ophthalmiam primò graviſſimam, mox brachii ſiniſtri dolorem vagum vehementiſſimum, tandem articularem quaſi dolorem circa genu in abſceſſum terminatum paſſum. Alii ſupreſsâ Dyſenteriâ inſani, leproſi, arthritici, epileptici &c. facti. Quod attinet Anodyna jamdum commemorata, nihil æquè ferocientes compeſcit ſtimulos ac concreta papaveracea ex oriente in noſtras terras delata, aut etiam in domeſtico ſolo provenientia, illa generoſiora, hæc debiliora ſunt, certè medicamentum in multis & maximis morbis præbent divinum, ad quod quaſi ad ſacram ſalutis anchoram nobis ſæpius confugiendum eſt, & ſine quo Medicina claudicaret, hoc medicamento ſæpius ſolo feliciter curatæ Dyſenteriæ, non tamen ſola ſuaderem laudata opiata, ſed in principio, cumprimis in Dyſenteria maligna Diaphoreticca & Alexipharmaca commiſcenda erunt, quibus ſolis cùm rodentia Dyſenteriæ ſpicula ⊖ina frangantur & venenati ſeri reliquiæ in maſſa ſanguinea adhuc fluctuantes diſcutiantur, ac ad glandulas cutis, utpote locum minus principem nec adeò ſenſilem eliminentur, quidni id fiet ſi medicamentis his unum vel alterum laudani granum adjeceris, quippe quo ſpirituum animalium ad inteſtina impetuosè ruentium rabie ſedatâ inflammationis augmentum inhibetur. Clyſterum uſus quoq; laudem meretur, quoties enim craſſa inteſtina affecta ſunt, Enemataq; alternis (à laxantibus vel purgantibus

vacuis)

vacuis) injecta diebus retineatur, toties ſequens diutiſſimè in corpore ſervatum valdè, Sylvio teſte, proderit:

℞. *Lactis bubul. rec. & ſi lubet prius chalybeati* ℥viij.
Terebinthinæ Vitell. ovi ſol. ʒß. *ad usq;* ʒij.
Mel. Roſ. ℥j. Mſ. *quidam addunt Balſami Sulph. aniſ. gtt.* viij.

Clyſteres lenientes & abſtergentes etiam fieri poſſunt ſequenti modo:

℞. *Juris decocti inteſtin.* ℥viij.
Sevi hircini, Sacch. Thom. āā. ℥j. Mſ.

vel ℞. *Rad. Alth.* ʒx. *Lilior. alb.* ℥ß.
Flor. Verbaſc. Melilot. Chamomill. Hyper. āā. Mß.
Lumbricor. terreſtrium Mß.

Coq. ex lacte ad conſumptionem teriæ partis, in colat. diſſolv.

Butyri non ſalit. rec. ℥ij.
Ol. Amygdal. dulc. rec. ℥i.
Vitell. ovi nō j. Mſ. f. Clyſter.

Satis abſterſis inteſtinis, tandem quoq; licet Clyſteres conſolidantes injicere, quales eſſe poſſunt ſeq.

℞. *Rad. Tormentill. Symph. maj.* āā. ℥j.
Flor. Roſ. rubr. Verbaſc. Hyperic. āā. Mß.
Herb. Sanic. Alchymill. Pyrol. āā. pj.
Lumbric. terreſtr. Mj.

Coq. in ▽ a chalybeata ad remanent. ℔j. *add.*

Sevi Cerv. Mell. Roſ. āā. ℥j. Mſ.

C vel

vel ℞. *Rad. Conſolid. maj. Thapſi barb.* āā. ℥j.
Folior. Plantag. Conſolid. āā. Mſ.
Flor. Roſar. rubrar. pij.
Oryzæ toſt. Sem. Cydon. ā ʒß *Pſyll.* ℈jv.
Coq. in aq. font. in Colat. ℔j. *diſſolv.*
Mucilag. Gumm. Tragac. ℥j. *Sevi hirc.* ʒvj.
Balſam. Peruvian. ℈j. Mſ.

Remedia in Dyſenteria frequenter uſitata ſunt vel lenientia particulis pinguibus ramoſis flexibilibus prædita, qualia ſunt Oleum amygdalarum dulcium, Olivarum, Butyrum recens, Emulſiones ex ſeminibus mucilaginoſis & quatuor frigidis, item Terræ ſigillatæ portio pinguior. Dein facile propter levitatem & plumas æmulantes pulveres inteſtinis adhærentia, ut ſunt pulvis priapi Cervi & Tauri, cum quibus commodè alia medicamenta abſorbentiâ, imbibentia & leniter adſtringentia miſceri poſſunt, videlicet C.C. uſt. pp. Corall. rubr. pp. Croc. ♂ is adſtr. Antimon. Diaphor. Unicornu minerale, Bolus Armena, Corall. rubr. pulv. Tormentillæ, Cran. human. &c. Conſolidandi cauſa à multis recommendatur Pomum cera & gummi Arabico repletum; Sylvius haud inconcinnè ad ulcus mundandum & conſolidandum utitur Balſamo Sulphuris Aniſ. vel Therebinthinato, cujus guttæ ſex vel ſeptem manè & veſperi in decocto vulnerario ex Rad. Tormentill. Herb. Conſolid. Sarac. Alchymillæ, Hederæ terreſtris & Hyperic. parato exhiberi poſſunt. Decoctum lactis cum Symph. paratum temperat & conſolidat. Suffitus ano exceptus ex ſuccino vel raſura C. C. Zingibere vel ex aceto ſuper laminam ferream effuſo proficuus eſt. In malignis Dyſenteriis proſunt pulveres Alexipharmaci, v. g. Pulv. Bezoarticus Sennerti, pulv. Saxonicus, pulv.

Spec.

Spec. de Hiacynth. pulv. Pannon. ruber. Elect. Diaſcord. Fracaſt. ⊖ Vol. C. C. Pulvis Viperinus. Tinctura Bezoartica &c. Monendum quoq; eſt, quandoq; poſt variolarum exſiccationem Dyſenteriam ex inteſtinis læſis ſupervenire, in cujus curatione vitanda purgantia emollientia, adſtringentia, pinguia & oleoſa, econtra exhibenda exſiccantia & blandè adſtringentia. Cura Dyſenteriæ à medicamento purgante requirit abſtergentia, diluentia & his largiter epotis anodyna irritata viſcera blandè ſopientia, à veneno ſtatim vomitus concitandus, poſtea defendentia & corroſivis ſpiculis reſiſtentia vel obtundentia exhibenda, qualia erunt Lac, Butyrum, Ol. Amygdal. dulc. olivarum acidis inimica convenient alcalina &c.

IX.

DIÆTETICVS ante omnia requirit aërem temperatum, tempore pauló frigidiori exiſtente cubiculum ægri calefaciendum, ut pori corporis aperti ſerventur, ſi veró æſtus ſit nimius, nè æger propter ſpirituum diſſipationem lipothymia aut ſyncope afficiatur, flabello, herbis & floribus refrigeretur. Domus Styrace, Maſtiche, Gummi animæ, reſina alba &c. perfumiganda. Cibi ſint ſimplices & facilis concoctionis ex oryza, cydoniis, hordeo decorticato, carnibus vitulinis & vervecinis, caponibus, vitellis ovi, butyro recenti parata, pinguedo caſtratorum liquefacta juſculis admiſcetur, Lumbrici Terreſtres loti & conciſi cum carne caſtratorum cocti juſculum dant ſaluberrimum ſæpius aſſumendum, in chronico hoc affectu conducit Lac vaccinum cum cinamomo tenui coctum. Potus ſit ſequens decoctum:

℞. *Raſur. C. C.* ℥j. *Priapi Cervi.*
Rad. Biſtortæ āā. ℥ß. *Herb. Veronic.* mj.
Hord. crud. pij. *coq. ex aq. font. ad remanent.* ℔vj.

Poſſet

Poſſet etiam Gelatina ex Raſ. Ebor. C. C. oſſibus ſpinar. viperin. & priapo cervi parata cum cereviſia tenui liquefacta exhiberi, non in grata quoque foret Emulſio ex amygdal. dulc.| cum aq. tormentill. plantagin. bugloſſ. veron. cinamom. cydon. aut aq. panis maſtichina confecta ordinariè pota, monendum tamen nimium potum minimè ingerendum eſſe. A motu abſtinendum, quia ſpiritus & humores verſus inteſtina jamdum proruentes magis concitat, quies verò eos reficit pacatioresq; reddit, ideò ſomno tam interdiu quam noctu indulgendum. Excrementa ſtatim amoveantur, ne ægro moleſta ſint & aërem inficiendo in vicinos contagium propagent, ſecurè itaq; abjicienda aut defodienda ſunt, quidam primas ſedes ſuper herbas vulneravias factas & manipulo ſalis aſperſas ſub terræ condunt, hâc transplantationis viâ morbum profligaturi. Animus ab omni mœrore, ira &c. vacet, econtra ad tranquillitatem ſit compoſitus, ſic Deo annuente Omnipotenti morbo huic ut plurimùm felix imponetur

F I N I S.